



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 87. Foxuani Regis epistola ad Paulum V. Papam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. A. C. 1615. toque populo festive applaudente die vigesima nona Octobris solemnem in urbem ingressum celebrabant, comitantibus eos quamplurimis Episcopis, Principibus ac Nobilibus tam Romanis, quam Gallis atque Hispanis.

§. LXXXVII.

Foxuani Regis epistola ad Paulum I. Papam.

Bald. Chronic. morale pag. 1031.

Dies erat tertia Novembris, qua hi Legati ad summi Pontificis alioquium admissi fuere, ac præprimis Philippus Franciscus pretiosam, atque artificiosam vestem, qua nunquam, nisi coram suo Rege comparere licitum, indutus, ad summum Pontificem præsentibus Cardinalibus, Sulmonensi Principe, multisque Episcopis, Prælati, aliisque primæ Nobilitatis Viris accessit, atque in genua provolutus, pedesque Pontificis cum reverentia deosculatus, Regis sui literas obtulit, quas etiam Petrus Stroza, qui Pontifici a secretis, palam recitabat: in his Rex se quidem pro nunc fidem Catholicam amplecti haud posse, cupere tamen testabatur, ut ejus gentes, & subditi populi Religionis Christianæ præceptis instituerentur, hanc in rem sibi Fratres Minores de observantia submitti rogabat,

bat, pollicitus, quod eis suo in Regno Sæc. XVII.
 omne auxilium præstare velit: *similiter,* A. C. 1615.
 prosequeretur Rex; te *Beatissime Pater,*
 exoro, ut in meo Regno disponas, gubernes, instituas omnia ea, quæ ad propugnandam sanctam Dei Legem utilia tibi fore placuerint: præcipue ut in eo instituas, & crees quemdam magnum Prælatum, instanter supplico, cujus observantia & sollicitudine, omnes, qui in eo habitant, quam primum Christianos fieri non dubito: de ipsius autem expensis & redditibus, ne quæso, anxius sis, quia ut copiose fiant, nostræ sollicitudinis & curæ proprium esse volumus, cujus rei causa ad te mitto hosce legatos meos, ut ambo mei vices agentes, obsequi & obedientiæ causa, ad sanctissimam usque Romanam Curiam pervenientes, tuos beatissimos pedes pro me osculentur: cognovi præterea, quod meum a novæ Hispaniæ regnis, quæ potestati, ac ditioni potentissimi Regis Hispaniæ Philippi subsunt, non multum distet: quapropter cum desiderio communicandi cum ipso, & cum illis Christianorum Regnis ejus amicitiam exopto: quod equidem sic fore confido, si tua auctoritas interveniat, precibus humiliter peto, ut hoc Altitudo tua incipiat, & ad finem usque perducatur, maxime quia necessaria via Religiosis a te in hoc Regnum missis est. Præ omnibus pro me orabis omnipotentem Deum, ut ad ejus amicitiam valeam pervenire, si

Hist. Eccles. Tom. LV. Dd vero

Sæc. XVII. A. C. 1615. *vero in hoc regno aliqua videris tuo obsequio & voluntati gratiosa, jubeat Altitudo tua, quoniam ut voluntati tuæ respondeamus, totis viribus adimplebimus.*

Hæc autem licet exigua sint dona, quia tamen ex longinqua regione adveniunt, cum reverentia & timore pauca ex Japonia tibi offero, in omnibus aliis nos remittimus ad prædictum Patrem Sotelo, & Equitem Rotuyemon, & ea quæ ex parte nostra tractaverint, & rata fecerint, ipsa & rata esse volumus. Ex civitate & Curia nostra Fendai anno decimo octavo ætatis Quecho quarto, die lunæ novæ, id est, anno salutis millesimo sexcentesimo tertio decimo pridie nonas Octobris.

§. LXXXVIII.

Petri Strozzeæ responsum nomine Pontificis ad has literas datum.

*Bald. l. c.
Argentre
Concl. &
jud. Facult.
Paris. tom. 3.
pag. 100.
Abrege
chronol. de
l'hist. Eccl.
tom. 3. 1617.*

Recitatis hisce literis P. Gregorius Petrocha Ordinis FF. Minorum Japonensis hujus Regis, Legatorumque nomine alium habuit sermonem, quo absoluto Petrus Strozza summi Pontificis Secretarius Apostolicus eleganti oratione Legatis gratulabatur, quod ipsorum Rex divini amoris ardore succensus Christianam fidem receperit, & adhuc Cathecumenus fidei propagationem, verumque Dei cultum apud gentem suam